UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis. Emanvelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è Societate Jesu

Giuglaris, Luigi

Francofvrti, 1684

Nascitur in Bethleem Iudæ. 4

urn:nbn:de:hbz:466:1-38349

Visual Library

ELOGIUM IV.
NASCITUR IN BETHLEHEM JUDÆ.
Luc. cap 2.

Dirigite viam veſtram mortales.
Factus Deus Viator eſt,
Recta incedentibus occurrit in via,
Frumentum Electorum Maturum in palea,
Quia in terram bonam ceciderat,
Non expectavit Æſtatem :
Quamvis æſtas credi potuerit,
Sole inter Taurum, & Virginem ſtabulante.
Proſtrato Deo, & in Carne captivo
Deditionem cogitat Cœlum.
Et Militiam jam non utilem bello
Fecialem deſtinat Paci,
Daturus de ſeipſo convivium homini,
In Civitate Panis.
Obſonia ne deeſſent. factus eſt caro :
Et qui ignem venerat Miſſurus in terras
Aptam concipiendæ flammæ materiem quærens,
Deſcendit in fœnum :
Ita Deus novam plane Metaphoram fecit in Verbo,
Quod à propria ſede ſua eo tranſtulit,
Ubi locus ei non erat.
Primus, qui cum bene ageret, lucem odiſſet,
Quia dici non poterat in lucem editus,
Natus in nocte,
Cum non haberet unde tegeretur,
Detectus non eſt,
Perſonatus ideo, quia nudus.
Inter feras cicures medius.
In nocte media,
Locum Virtutis, & moriens occupavit,
Et Naſcens.
Fœcunditatem à Virgine
Sterilitas omnis edidicit;
Flevere oleum ſcopuli,
Opobalſamum quercus;

Non ſine cauſa Moniti homines ut dirigerent viam ſuam, ita enim inventuri Deum erant viatorem factum.

Stabulum, in quo natus, prope viam fuit.

Frumentum electorum dictus Chriſtus, Zach. 9.

Aliud cecidit in terram bonam, juxta parabolam ſeminantis, Matth. 13. Marc. 4. Luc. 8.

Æſtiva ſigna inter Taurum & Virginē.

Quare militia cœli, & non aliis commiſſa pacis canendæ cura.

Hoc eſt in Euchariſtia.

Bethlem interpretatio, Civitas Pacis, à Hieron. & aliis Patribus.

Ignem veni mittere in terram: Et quid volo niſi ut accendatur. Luc. cap. 12.

Propria Dei ſedes cœlum, ex David. Cœlum cœli Domino.

Qui male agit, odit lucem. Iohan. 3.

Erat enim ipſe lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Nihil enim hominis oculis æque tegebat Chriſti divinitatem, quam nuditas.

Laus virtutis in medio.

Moriens inter latrones medius, & naſcens in media noctis, & in medio duorum Animalium.

 Atque

Alludit ad prodigia, de quibus elogio proximo ſequenti.
Chriſtus natus propè hyemale ſolſtitium, à quo majores fieri dies incipiunt, & Argutia eſt D. Ambr.
Cur Paſtoribus ante alios innotuerit.
Ecce Agnus Dei. Ioan. 1.
Conſuetudo eſt altera natura, ex Ariſt. 1. Rhet. c. de jucundo.
Et habitu inventus ut homo. Paul. ad Philip. 2.

Atque ita ab eodem Solſtitio
Lux, & accreſcere cœpit hominibus,
Et diebus.
Paſtores Chriſtus primas ſibi oves elegit,
Decuit inter hos Agnum naſci,
Et natum ab his primum agnoſci.
Diſcite aſſuetudo quid poſſit;
Quando Deus ipſe
Humanitatis aſſiduè frequentans actus,
Tandem habitu inventus ut homo.
Ita, in Deo etiam, aſſuetudo
Facta altera natura eſt.

ELOGIUM V.

ORTUS EJUS MULTIPLICI PRODIGIO ILLUSTRATUR.

Spica Virginis Chriſtus. Inde frumentum electorum.
Sol ſpicis coronatus apparuit baron. anno 1. Chriſti ex variis.
In nuptiis coronari ſoliti antiqui.
Chriſtus panis vivus, qui de cœlo deſcendit.
Fons olei Romæ, ex Oroſio lib. 6. c. 20.
Alludit ad parabolā de decem Virginibus.
Non enim veni pacem mittere, ſed gladium. Matth. c. 10.
Iſaiæ. c. 1. Plaga non eſt circumligata, nec fota oleo.
Engaddi vineæ floruerunt. Baron. ibidem.
Ara Cœli ex Suida. Cedreno, & aliis.
Tres Soles Romæ viſi Baron. ex Plinio, & Dione, ibidem.

Spica virginis
Ubertatem hanc cœlo fecit,
Ut Sol, ad Agni nuptias & ipſe vocatus,
Spicis coronatus inceſſerit.
Videre homines ſpicas in cœlo debuerant,
Si debuerant de cœlo panem ſperare.
Miniſtrat tellus oleum;
Ornare veſtras lampades, Sponſus venit.
Omnes homines initiaturus Athletas
Tam multis inungendis
Materiem præparat.
Non obduxerant cicatricem vulnera noſtra,
Quia circum ligata non fuerant,
Nec fota oleo,
Ideo curare illa qui venit,
Faſcias, & oleum ſecum affert.
Senſere vicinum Solem Engaddi Vineæ.
Eo in Tauro poſito floruerunt.
Ara Cœli
Novos Romæ Sacerdotes annunciat,
Et ne Plebejo numini dicata credatur,
Trina illi, in triplici Sole;

Lam-